

3605—3608 pertinent ad mausoleum ex lapide Tiburtino quod extat in ripa sinistra Anienis prope pontem qui hodie dicitur atque etiam medio aevo dicebatur Lucanus (inscriptionem M. Plautii M. f. Anien. Lucani, qua nisi nonnulli hoc nomen ex antiquitate repetunt, vide in falsis), sine dubio intra territorium antiquum urbis Tiburtinae, a qua abest passibus circiter mille quingentis. Aedificavit id mausoleum, ut colligitur ex titulo n. 3605 inciso in ipso monumento, M. Plautius Silvanus consul a. 752 sibi et Lartiae Cn. f. uxori. Procedente tempore etiam posteri eius in eundem tumulum inlati sunt, et primum vivo etiam tum ut puto ipso Silvano, parvulus filius eius Plautius Urgulanius, quo tempore ante mausoleum, in ipsa ut puto via statuta est ingens tabula marmorea n. 3606, in qua et repetita sunt ex n. 3605 nomina Silvani et Lartiae et adiunctum est nomen Urgulanii. Postea cum reliqui liberi Silvani monumento inferrentur, statutae esse videntur ab utraque parte tabulae illius de qua dixi ingentis complures tabulae marmoreae et ipsae magnae, sed illa longe minores, separatae et ab illa et inter se parastatis ex lapide Tiburtino

3605 in ipso mausoleo.

m. plautius M · F · A · N · SILvanus
 cos. uii VIR · EPVLon
 huic senatus · TRIumphalia
 ORNAMENTa DECRET ob
 5 RES · IN · ILYRICO · BENEgestas
 LARTIA · CN · F

Descripti. Exhibent Accursius ms. f. 9; Metellus Vat. 6039 f. 338', ubi dicit descripsisse se anno 1546, 6040 f. 64', idem misit Laelio Taurello, quod exemplum extat in codice nunc bibl. Gissensis n. 946; Ligorius Taur. vol. 20 f. 64' cum supplementis veluti ea essent antiqua; cod. Ottob. 2970 f. 24, accurate; Vulpi Lat. 10 p. 342; Piranesi *ant.* III tab. 11 aeri incisam; de Sanctis *del sepolcro de' Plauzj* p. 17 (inde

Canina *edifizj* vol. V p. 110 et tab. I; Nibby *viaggio* I p. 115; Sebastiani p. 211. De visu citant Cabral et del Re p. 50.

1 fin. et 2 fin. singulas litteras addidi ex Accursio Metello cod. Ottobon.; ego non agnovi; 2 fin. L habet etiam de Sanctis. — 4 ex litteris ORNAMENT et DECRE dimidia tantum pars extat; cum altera parte superiore fieri potest ut perierint apices nonnulli; ipsae litterae certae sunt.

Supplevi ex n. 3606. M. Plautius Silvanus consulatum ordinarium gessit anno u. c. 752 una cum Augusto. De maioribus eius nihil certi compertum; potest fuisse nepos A. Plautii (sive Plotii) eius, qui anno 697 fuerat tribunus pl., a 700 aedilis curulis (Cic. pro Planc. 7, 17. 22, 54; denarii inscripti A. Plautius *aed. cur.*), anno 703 praetor (Cic. ad Att. 5, 15, 1); item veri simile est habuisse eum inter maiores M. Plautium Silvanum tribunum plebis anno 665. Aut mater aut socrus eius fuit Urgulania, quippe quae a Tacito ann. 4, 22 appelletur filii eius avia. Plebeios fuisse Plautios liberae reipublicae notum est; sed hunc Plautium ne a Caesare quidem vel ab Augusto inter patricios esse adlectum constat inde quod filius eius Pulcher tribunus plebis fuit (n. 3607 v. 6) et postea demum a Claudio inter patricios adlectus est. In Illyrico rem bene gessit sub Tiberio a. p. C. 10 teste Dione 56, 12; triumphalia ornamenta ei decreta esse significant et ipse Dio c. 17 (*αί νικητήριαί τιμαί, ὅπερ πού καί τοῖς ἄλλοις στρατιάρχους ὑπῆρξε*) et Suetonius Tib. c. 20 ([Tiberius] *triumphum egit, prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat*). Mortuus esse videtur paullo post, certe ante Augustum; nam Tacitus in annalibus Tiberii neque mortem eius refert neque ipsum memorat ibi ubi memorari debuit si fuisset in vivis (ann. 4, 22). — De Lartia Cn. f., uxore eius, ut adscriptum est in n. 3606, praeterea nihil scimus. — Filii Silvani fuerunt M. Plautius Silvanus praetor urbanus a. p. C. 24 (Tac. ann. 4, 22; Henzen act. Arval. p. CCXLIV); A. Plautius Urgulanius (n. 3606 v. 9); P. Plautius Pulcher (n. 3607); filia Plautia Urgulanilla, uxor Ti. Claudii postea Augusti prima (Suet. Cl. 26), mater Drusi eius qui memoratur n. 3607 v. 7. 8. A. Plautius, qui Britannos devicit, consul suffectus a. p. C. 29 (fast. Nolan., Corp. X n. 1233), et Q. Plautius consul ordinarius a. p. C. 36 (Tac. ann. 6, 40) eiusdem Silvani filii creduntur a nonnullis, sine iusta causa.

3606 loco antiquo ante monumentum in tabula ingenti marmorea.

M · PLAVTIVS · M · F · A · N
 SILVANVS
 COS · VII VIR · EPVLÓN
 HVIC · SENÁTVS · TRIVMPHÁLIA
 5 ÓRNÁMENTA · DÉCRÉVIT
 OB · RÉŠ · IN · ILYRICO
 BENE · GESTÁS
 LARTIA · CN · F · VXOR
 A · PLAVTIVS · M · F
 10 VRGVLANIVS
 VIXIT · ANN · IX

Recognovi. Cyriacum descripsisse indicat Scalamentius verbis eis quae supra p. 368 retulimus. Legitur ex Cyriacanis apud Petrum Donatum f. 66, in cod. Parm. f. 74', cod. Vat. 6875 f. 69, Marc. XIV, 124 f. 142', Angelican. D 4, 18 f. 39', Chis. J VI 203 f. 14; item pendent e Cyriacanis Marcanova Mut. f. 62, Bern. f. 59' (n. 108); Felicianus Ver. f. 145; Ferrarinus Traiect. f. 96', Reg. f. 92'; cod. Redianus f. 124'; Lilius Helmst. f. 114'; Alciatus Feae f. 15'; Choler f. 65. Ex lapide Antiquus n. 2 (Hamilt. f. 60', Marucell. f. 3); Iucundus Ver. f. 133, Magl. f. 108' (inde pendet Mazochi f. 175); is a quo pendet P. Sabinus Chis. f. 128 (inde Sieder f. 33'); Brunelleschi f. 73'; Leoncini f. 2'; Gaspar Castro Bletisanus apud Metellum Vat. 6040 f. 189; ipse Metellus Vat. 6038

f. 145 et ad Mazochium suum nunc Vaticanum, ubi dicit exscripsisse A(lphonsum) C(astrum); Pighius cod. Luzac. p. 170, annal. Rom. vol. 3 p. 537; Smetius ms. Neap. p. 188 (inde Manutius orth. 717, 1, ex quo Nicodemus p. 96), ed. 78, 7 (inde Grut. 452, 6, in cuius ed. 2 adhibitae sunt schedae Pighii); Panvinus fast. ad a. 752; Ligorius Taur. vol. 20 f. 65', 26 f. 157'; Winghe Brux. 1, 6; manus mihi ignota apud Victorium cod. Mon. 743 f. 71; cod. Ottob. 2970 f. 23, accurate; Anonymus Hispan. Chis. f. 451'; Romieu f. 147; Antonius del Re ed. p. 104 (inde Marzi II p. 164); Stephanonius cod. Leid. p. 100, 3; Fabretti 171, 325; Kircher Lat. p. 160; S. Bartoli *gli antichi sepolcri* tab. 33; Vulpi Lat. 10 p. 341 (inde Barbault *mon. anc.* p. 21); Chaupy *maison d'Horace* 2 p. 419; Cabral et del Re p. 49; de Sanctis *del sepolcro de' Plauzj* tab. I cf. p. 23 seq.; Nibby *viaggio* I p. 115; Fea fasti p. 103; Sebastiani p. 213; Canina *edifizj* vol. V p. 110; Garrucci *i segni detti accenti* p. 28, non sine erroribus. Orelli 622.

Lectio certissima est; male in v. 9 M (pro A) Smet. ed. (non ms.) et Fabretti, in v. 11 VIX (pro VIXIT) Smetius (tam ms. quam ed.). — 10 VIRGVLANIVS, 11 LX Nicodemus, errore typographi. — Recte exceperunt hanc inscriptionem etiam auctores antiquissimi, Antiquus quem diximus et Cyriacus; nam quod Antiqui cod. Maruc. in v. 4 habet PLATIVS, Hamiltonianus in v. 11 VIX (pro VIXIT), uterque autem in v. 8 GN (pro CN), id eis debetur qui codices illos exaraverunt. — In v. 10 ex auctoribus Cyriacanis veram lectionem VRGVLANIVS habent cod. Parmensis et Petrus Donatus, sed hic correxit in VIRGILIANVS, quod prima manu reperitur in cod. Chis. et apud Marcanovam et Alciatum; alii ex Cyriacanis auctoribus (cod. Vat. Marcan. Felicianus) habent VRGVLANVS. — Ligaturam in TRIVMPHÁLIA v. 4 recte repraesentavit Antiquus (tam in cod. Ham. quam in Maruc.), solvit Cyriacus. Ad apices neuter horum auctorum adtendit, cum in n. 3608 Antiquus certe multos apices recte exceperit.

Hanc tabulam recentiore esse quam titulum n. 3605 in ipso monumento insculptum ostendit litteratura; nec tamen erit multo recentior, positus ut opinor etiamtum vivis Silvano et Lartia vel certe altero eorum; nam si defuncto utroque parente et tumulo inlato mortuus esset Urgulanius, vix haberemus Urgulanii nomen insculptum in eadem tabula. Cognomen habuit Urgulanius ab Urgulania, quam aviam fuisse Plautii Silvani praetoris a. 24 ait Tacitus ann. 4, 22.

Exemplum falsum incisum in tabula marmorea, sed mutilum a dextra, anno 1869 vidit Bormann Romae in horto aedium Camuccini.

cum capitulis Corinthiis. Harum minoris moduli tabularum hodie una tantum superest, nempe n. 3608 cum inscriptione Ti. Plautii Silvani Aeliani; supererat saeculo XV a sinistra ut puto tabulae n. 3606 altera tabula n. 3607 cum inscriptione Plautii Pulchri. Antiquitas autem a sinistra certe tabulae illius maximae n. 3606 non una tantum tabula stetit, sed duae, ut colligitur ex numero parastatarum qui hodie quoque ab ea parte supersunt; potest item a dextra tabulae n. 3606 praeter n. 3608 stetisse altera olim deperdita. Ad quos ex posteris Silvani consulis anno 752 tabulae illae duae vel tres deperditae pertinuerint, nulla coniectura definiri potest. — Imaginem mausolei optime factam et ichnographiam exhibet Piranesius *le antichità rom.* III tab. 12. 13; imagines praeterea multi, in his Vulpi Lat. 10 ad p. 348; Barbault *recueil de monumens anciens* tab. 23; de Sanctis *del sepolcro de' Plauzj* (1784) in tabula non numerata; Rossini *le antichità dei contorni di Roma* tab. 3; Canina *edifizj* vol. VI tab. 121.

3607 videtur extitisse in tabula marmorea iuxta n. 3606 a parte intuenti sinistra, et ita diserte testatur IVCVNDVS, qui cum ad n. 3608 (quae apud eum hanc praecedat) adscripsisset 'a latere dextro ex minoribus litteris', ad hanc adscripsit 'a latere sinistro ex minoribus litteris'. — MARCANOVA quod refert 'in sepulcro quadrato habens utrinque geminos fascis', id puto non ad hanc inscriptionem neque omnino ad sepulcrum Plautiorum pertinet, verum pertinet ad monumentum viae Ostiensis huius Corp. vol. VI n. 1343 et huc relatum est errore.

P · P L A V T I V S
P V L C H E R

T R I V M P H A L I S · F I L I V S
AVGVR · III · VIR · A · A · A · F · F · Q
5 TI · CAESARIS · AVG · V · CONSVLIS p. C. 31
TR · PL · PR · AD · AERAR · COMES · DRVSI · FILI
GERMANICI · AVONCVLVS · DRVSI
TI · CLAVDI · CAESARIS · AVGVSTI · FILI
ET · AB · EO · CENSORE · INTER · PATRICIOS
10 LECTVS · CVRATOR · VIARVM · STERNENDAR
A · VICINIS · LECTVS · EX · AVCTORITATE
TI · CLAVDI · CAESARIS · AVGVSTI · GERMANICI
PROCOS · PROVINCIAE · SICILIAE
VIBIA · MARSII · F ·
15 LAELIA · NATA
PVLCHRI

Hanc inscriptionem post initia saeculi XVI nemo vidit, saeculo XV referunt tres auctores primarii, Cyriacus apud Petrum Donatum f. 66, cod. Parm. f. 74', cod. Marc. XIV, 124 f. 142', cod. Vat. 6875 f. 69, cod. Angel. D 4, 18 f. 39', cod. Chis. J VI, 203 f. 14; Antiquus quem dicimus n. 3 (Maruc. f. 3', Ham. f. 61); Iucundus Ver. f. 134, Magl. f. 109. Praeterea exhibet qui reliquas plerasque dat de visu, sed hanc significat se non vidisse ('*al presente non si ritrova*') Brunelleschi f. 73, nullo auctore laudato. Denique principium (vv. 4—3) habet Raphael Volaterranus commentariorum urbanorum (1506) lib. XVIII (f. 255') adiunctum ad n. 3608. Repetiverunt ex Cyriacanis Scalamentius in vita Cyriaci (ms. Tarvis.); Marcanova cod. Mut. f. 61', Bern. f. 59; Felicianus Ver. f. 145, unde rursus cod. Redianus f. 125; Lilius cod. Helmst. f. 103'; Ferrarinus Traiect. f. 97, Par. f. 102, Regiens. f. 18. Ex Iucundo Mazochi f. 175 (inde Grut. 454, 1); item ex Iucundo puto pendet exemplum in fine vel interpolatum vel coniectura correctum, quod cum Grutero 452, 5 communicaverat Scaliger; ex exemplo Iucundi apud cardinalem Carpenssem adservato Metellus Vat. 6039 f. 340, ubi tamen errore dicit exscripsisse Martinum (Smetium), apud quem non reperitur, se tantum emendasse ex Iucundo. E Grut. de Sanctis tab. III; Nibby *viaggio* I p. 117; Orelli n. 723; alii.

Varietas lectionis, si exceperis errores commissos a scriptoribus codicum quibus exempla Cyriaci et Antiqui debemus, item notas ab aliis aliter solutas, plane nulla est; etiam in v. 16, ubi Antiquus quidem et Iucundus recte sine dubio habent PVLCHRI, Brunelleschi PVLCHI, Cyriaci autem exscriptores plerique (codices Marcianus et Vaticanus, Scalamentius in vita Cyriaci, item Marcanova) PVLCHRA, tamen ipse Cyriacus videtur posuisse PVLCHRI, cum ita habeant certe Petrus Donatus, codex Parmensis, codex Angelicanus, Felicianus. Nihilominus adscripsi etiam minima illa quibus differunt a lectione supra recepta Antiqui codices Marucellianus et Hamiltonianus, Cyriacus apud Donatum et in codicibus Marciano et Vaticano, codices Iucundi, denique Brunelleschius. — 5 CESARIS Antiqui cod. Ham. — AVGVST (pro AVG) Iuc. Brun., AVGVSTI Antiqui cod. Ham. — COS Antiqui cod. Ham. — 6 AERR Donatus. — FILI Antiquus, item Cyriacus apud Donatum et Brunelleschi, FIL Cyriaci codd. Marc. et Vat., item Iucundus. — 7 AVONCVLVS Cyriaci cod. Vat., AVONCVLVS correctum in AVONCVLVS Antiqui cod. Ham. — 8 TIB (pro TI) Antiqui cod. Ham. — FIL Donatus. — 9 PATRIOS Antiqui cod. Ham. — 10 STERNENDARVM Antiqui cod. Ham., STENENDARVM Antiqui cod. Maruc. — 13 PROVINCIA Cyriaci codd. Marc. Vat. — 14 ET (pro F) Grut. 452, 5. — 15 LAELIA Cyriaci cod. Vat. et Brunell. — 16 de lectione PVLCHRA vide supra. — Versus distribui ita ut Antiqui codex Maruc., Cyriaci codices Vaticanus et Parmensis, Brunelleschi, qui alibi quoque veram versus divisionem servaverunt (reliqui versus continent); apparet nomina vv. 1. 2. 14—16 scripta fuisse litteris maioribus. — Consensus ille exemplorum suspicionem movet, ex eodem fonte omnia derivari; sed eam suspicionem esse abiciendam, immo statuendum, extare huius inscriptionis apographa non minus tria, re diutius ponderata repperi. Nam inter Cyriacum certe et Antiquum, ut de his primum dicam, alibi in Tiburtinis nulla affinitas est. Et Cyriacum inscriptiones tumuli Plautiorum descripsisse constat testimonio Scalamentii; Antiquum autem cum inscriptionum n. 3606 et 3608 proposuerit exempla longe accuratiora quam quisquam auctorum Smetio antiquiorum, ex hac apices quadraginta septem enotarit, in illa contignationem litterarum P et H repraesentaverit, ad hanc autem adscripsit 'in primo marmore huius tumuli hoc reperitur epitaphium', ad illam 'in secundo marmore eius tumuli hoc reperitur epigramma', Antiquum, inquam, quis credat exemplum nostrae inscriptionis n. 3607 proposuisse aliunde petitum et ei similiter ut illis quas ipse vidit adscripsisse, ut fecit, 'in tertio marmore huius tumuli hoc reperitur epigramma'? — Ne Iucundum quidem, quamvis duas quae apud eum extremae Tiburtinarum sunt n. 3685 et 3820 fieri potest ut petierit hanc ex Cyriacano aliquo auctore, illam ex Antiquo, verisimile est inscriptionem Plautii Pulchri petisse aut ex Cyriaco aut ex Antiquo, nam in illis duabus inscriptionibus ipsae locorum indicationes apud Iucundum derivationem quodammodo produunt, inscriptiones tumuli Plautiorum et aliter ordinavit Iucundus atque illi (in Cyriacanis [codicibus et apud Cyriacanos auctores omnes ordo est hic: n. 3607. 3606. 3608, apud Antiquum n. 3608. 3606. 3607, apud Iucundum autem n. 3606. 3608. 3607) et adscripsit quae neque apud Cyriacum neque apud Antiquum invenit, ad n. 3608 'a latere dextro ex minoribus litteris' (nempe quam n. 3606, exarata secundum ipsum 'in tabula marmorea ex magnis litteris'), ad nostram n. 3607 'a latere sinistro ex minoribus litteris'. Denique Brunelleschius quoque non video cur non et ipse possit habuisse apographum diversum ab eis quae reperiuntur apud priores.